



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 138. Rationes, ob quas Papa adeo impense Ferdinando faverit

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Neapolin, quo Ferdinandus confugerat, suo imperio subigere potuisset, si suum, & non aliorum consilium secutus, absque ulteriori mora urbem obsedisset, a quo tamen proposito averfus fuit a Principe Tarentino, qui Duci suggerebat, consultius fore, ut prius ea, quæ viciniora essent, loca in potestatem redigeret, quam ut maximi moliminis rem dubia forte temerarie aggredereetur. Ferdinandus hac cunctatione opportune usus, res suas restauravit, ac subsidia sibi a Papa & Sfortia Mediolanensium Duce submissa præstolandi spatium accepit; unde factum, ut Calabriensis Dux Neapolitanæ urbis obsidionem, quam prius animo conceperat, penitus intermittere compulsus fuerit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

§. CXXXVIII.

*Ferdinandus a Papa potenter protectus, & quare?*

Equidem (\*) Papa, tanta sollicitudine ad

(\*) Hæc Continuator denuo ex Spondano transcripsit, utinam! & illius ingenuitatem, ac erga S. Sedem imitatus esset reverentiam; Hic enim sua dicta saltem interjecta hac nota mitigabat: (*absque tamen ulla accusatione, & servata omni in Pontificem reverentia.*)



Sæcul. XV. ad mutuam pacem & concordiam cete-  
A.C. 1459. ros Italiæ Principes revocare conabatur,  
 ut etiam illis iram ac vindictam divinam  
 comminaretur, nisi a rixis & contentio-  
 nibus desisterent; sat tamen mirari haud  
 possumus, quod idem Pontifex in præ-  
 senti bello tam pertinaci consilio dissidia  
 Ferdinandum inter & Renatum Ande-  
 gavensem aluerit, quinimo & Scander-  
 begum, alias Turcarum terrorem, in Ita-  
 liam evocaverit, ut Ferdinando suppetias  
 ferret. Erat quidem Papa tam arcta Fer-  
 dinando colligatus amicitia, ut adhuc-  
 dum Cardinalis se illius famulum ali-  
 quando profiteri non dubitaverit. Insuper  
 jam alibi nonnullas adduximus causas,  
 ob quas Papa Ferdinando valde propen-  
 sus, Gallis vero male affectus fuerit (\*);  
 hos enim nimis superbam esse nationem,  
 eamque vehementer expeditioni, quam  
 contra Turcas moliebatur, obstitisse cen-  
 sebat. Verum plerumque privata com-  
 moda utilitati publicæ præferri solent,  
 etiam ab iis, qui ad supremos dignita-  
 tum apices evecti clarescunt. Ceterum  
 Renatus Andegavensis verus ac legitimus  
 Siciliæ hæres erat, & ejus Filius Joannes  
 omni æquitate adversus Ferdinandum  
 spurium,

*Æn. Sylv.  
Epist. 194.*

*Marian.  
lib. 23. c. 1.*

(\*) Idem Spondanus, etsi Gallus, addidit, in  
*superbiam, & ferocitatem Francorum non semel,  
 haudque adeo immerito invehit.*



spurium, qui ab ipsomet Calixto III. in-  
 justus Regni usurpator denunciatus erat, Sæcul. XV.  
 A.C. 1459.  
 jus suum prosequeretur, cum id ipsum  
 toties Patri suo Sedes Apostolica confir-  
 masset. Ipse quoque Pius II. Ferdinandi  
 jus controversum agnovit, cum in literis  
 investituræ diserte hæc verba apponi vo-  
 luerit: *salvo alterius jure*, quibus etiam  
 aliis æquale saltem cum Ferdinando jus  
 ad regnum competere, manifesto insinua-  
 vit argumento. (\*)

§. CXXXIX.

*Novi tumultus ad ejiciendos Gallos  
 Genuæ suscitati.*

Interea Calabriæ Dux, cum unice recu-  
 perando Neapolis Regno intentus ef-  
 set,

(\*) *Aut Pium II. vindicare, utpote qui ipsus  
 ejusmodi objecta sæpius plene diluit, ut videre  
 est apud Palatium in Pium II. num. 7. aut Con-  
 tinuatorem nostrum velut summo Pontifici inju-  
 stitiæ notas impingentem castigare, nunc est nec  
 animus, neque consilium; eoquod, quæ protulit,  
 non proprii sui cerebri partus sint, sed Spon-  
 dani reflexio; hoc tamen illi vitio damus, quod,  
 dum alienis verbis uti non dedignatur, studiose  
 ea, quæ Pontificem excusant, omiserit. Consula-  
 tur ipse Spondanus in Continuat. Baron. ad  
 hunc annum num. 27. & 28.*